



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

Inhaltsverzeichnis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

cupiscentias affigit Cruci, vt dicere possimus Christo confixus sum Cruci: dum nō solum carnalibus vitijs, verum etiam ipsis elementis mundi huius mortuos non esse probamus, illuc habentes oculos animæ nostræ defixos, quo nos sperare debemus momētis singulis migraturos. Quis enim ita carnalibus sensibus mortuus est, verè carnem suam crucifixit, vt concupiscentias clavis comprimat, & spiritualium bonorū delectatione vsque ad perfectionem crescente victoria carnem perimat. Quomodo enim luxuria sentiatur, vt ait Bernardus, vbi nec vita ipsa sentitur, vtpote à sublimioribus absorpta?

¶ Ain, id est, Fons, vel oculus.

Octonarius XVI.

121 **F**Eci iudicium, & iustitiam: nō tradas me calumniantibus me.

122 Suscipe seruum tuum in bonum: non calumnientur me superbi.

123 Oculi mei defecerunt in salutare tuum: & in eloquium iustitiæ tuæ.

124 Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam.

Y s seri-

sericordiam tuam : & iustificationes tuas doce me.

125 Seruus tuus sum ego : da mihi intellectum , vt sciam testimonia tua.

126 Tempus faciendi Domine : dissipauerunt legem tuam.

127 Ideò dilexi mandata tua, super aurum & topazion.

128 Propterea ad omnia madata tua dirigebar : omnem viam iniquam odio habui.

129 Feci iudicium, & iustitiam : non tradas me calumniantibus me.

ET quoniam nemini nocui, neminem oppressi, sed iuste iudicium, & iustitiam feci, reddens vnicuique quod debebam; atque opere ipso, quod rectum esse ostendebas, ex animo adimplens: iure postulo vicissim, non tradas me calumniantibus, vel aduersarijs meis. Sed quia erga alios iudicium, & iustitiam facere non praualet, qui ante in semetipso ea non prastitit, feci in me, de me, contra me iudicium, vt ad tribunal mentis meae omnes non solum actus, sed & cogitationes accerferem: ibique ratione praeside, conscientia

Faciendū
iudicium
contra se
ipsam.